



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Guthlacus C. 11. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

impious Rex tam luculentam insanix suæ exprobrationem; sed regnum exilio mutavit, omnium hominum odium; cum STANISLAI triumphum etiam Aquilæ auferent. *Ex Surio.*

Nunc dum mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, quæ post ista sequantur, excogita, & quæcunque transitoria sunt, altiori consilio jam transisse decerne, & velut ludificatorix illusionis somnium deputa. S. Dam. l. 8. ep. 8.

S. GUTHLACUS C. II. Aprilis.

GUTHLACUS regio fatu nobilis, circa salutis annum DCC. VI. castra solitudine, sagumque sacco mutavit. Sedem sibi legerat expertem humani cultus Insulam, quam perpetuis turbis ita infestam dæmones reddidere, ut consilium fuerit, statione decedere, nisi opportunis auxiliis D. Bartholomæus patronus ac tutor confirmasset. Corruptum aliquando ad inferos abstraxerant iidem turbatores, ubi oculis objectâ æternorum ignium atrocitate, minati sunt, nisi Insulâ faceffere vellet, continuò præcipitandum. Gnarus GUTHLACUS nihil ultra minas posse, ausus est vel in hostico abnuere. Ex eo tempore quot diebus ab Angelo tutelari sub diei noctisque crepusculum visebatur, novasque contra increbescentem hostium impetum vires accipiebat. Discipulo, qui ei necem moliebatur, mentis arcanum aperuit: pro quo preces ad Deum fundere non destitit, quoad certam ei salutem impetravit. Eidemque triumphum suum ostendit mortuus, cujus pompæ pars fuit ignea turris à terrâ in cælum pertinens. Ethelbado Regi exuli per speciem objectus regni restituendi nuncius fuit. Qui receptis potestatis insignibus

12. April.

VITÆ SANCTORVM.

189

signibus, cœnobium sui vatis monumento superstruxit, in quo corpus ejus quiescenti quàm mortuo similis inventum est. *Ex Sur. & Lipp.*

Neesse est, ut illic dentibus strideant, qui hîc edacitate gaudebant: illic ab iis irremediabiliter plangitur, à quibus hîc voluptuosè ridetur; qui que hîc olfaciunt nidores aromatum, illic eos sulphureus fœtor excruciat, & tetra picei fumi caligo circumdat. S. Dam. l. 8. ep. 6.

S. ALFERUS ABB. 12. Aprilis.

Patria ALFERO Salernum, schola Principis illic aula fuit. Ex hac ad regem Germanorum Legatus feliciter è viâ aberravit, & ad Regem Regum in cœnobium Cluniacense deflexit. Inde melior jam ad patriam Legatus monachis illic præfuit, & Cavense Asceterium condidit. Ibi mali dæmonis invidiâ ex altissimo monte præceps dejectus, risit incolumis veteratorē, altius olim nec tam impunè cadentem. Incolam saxo obtritum à sociis in oratorio suo id noctis voluit deponi; mane deinde vespillonibus funus quærentibus hominem restituit. Quina ova cum essent, sed septem hospites, sine fraude, sed non sine miraculo, & fortè cum risu singula singulis attribuit. Vates plurimis aliis fuit, ipse mortis suæ vatem longè nobilissimum Christum habuit, qui sexto die prius quàm obiret, ALFERVM ad cœnam invitavit: condixit lubens, & quò famem opsonaret, jejunos venit. Miracula mortuus continuavit, ex multis unum illis narrabimus, qui ex Veneris harâ ad Numinis aram accedunt, & heu! impurati epulo divino inter virgines mentes Angelos accumbunt. Fuit qui quoties sacram mensam frequentare parabat, somniorū intemperie absterretur.

Eam